

123

N^{OS} Antonius tituli Sacerdotum Joannis &
 Joannis Presbyteri Cantuariensis Cathedralis sedis
 legatus & auctoritate sua facta a Reveren-
 dissimo Domino Archiepiscopo Mexicano in sy-
 nodo Provinciali anno M. D. LXXXV. celebra-
 ta. unquam cum synodo predicta ad sanctissi-
 mam Iamnam N. missa, a sacra Congregatio-
 ne Cardinalium Concilio Tridentino interpretato-
 rum sanctionis sua auctoritate. Propositionum emen-
 data, inque scriptis fuisse: eorumdemque salu-
 tum originale apud ipsam Congregationem re-
 mansisset cum quo hujusmodi statuta hoc libro
 chartarum LXXX. quartam partem incipit: data
 Synodus Provincialis in Civitate Mexicana, ultima
 verba sequentium exhibet & desinit: Doctor Jo-
 annes de Sacerdotibus, & collata in omnibus, &
 per amicitiam concordant in quorum sedem his pro-
 priis non subscripimus, & ad infrascripto se-
 cretario non subscripti, sigillatimque nostrum, quo
 in Congregationis predictae litteris, & scripturis
 operariis minor. apud nos mandavimus. Romae
 die XXVII. Octobris M. D. LXXXIX. Ita est.
 A. Carolus Curia.
 I. Curia Curia Curia Curia Curia Curia Curia
 verba Secretaria de mandato.
 Et est signatum sigillo Illustrissimi C. Curia.

* I. Curia sigillo Curia Curia

ORDO SERVANDUS IN CHORO

AB ILLM^O. D. FR. ALPHONSO DE MONTUFAR
PRESCRIPTUS.

NOS D. FR. ALPHONSUS DE MONTUFAR
Miseratione Divina Archiepiscopus Mexica-
nus, Regiaeque Majestatis a Consiliis: Reve-
rendis admodum, & permagnificis Dominis
Decano, & Capitulo nostrae Sanctae Cathed-
ralis Ecclesiae, salutem in Domino nostro
Jesuchristo, summo bono.

QUUM vehementer exoptemus debitum ordi-
 nem praescribere quoad Divina officia cele-
 branda, praeter eum, quem antea praestiti-
 mus, praes oculis habendo Sanctam Matrem Eccler-
 siam benignè nobis alimoniam porrigere, & alere
 de patrimonio (1) Redemptoris nostri, ut ei grates
 rependamus, laudemus, & pro nobis, Populoque
 Christiano (2) preces fundamus: In hoc enim de-

(1) Bona Ecclesiastica sunt patrimonium Christi, pretia peccatorum, & patrimonium pauperum, secundum SS. PP. Qui pauperi dat, Domino faceret juxta Chrysologum. Decimae, quibus aluntur Episcopi, & Canonici sunt proprie bona spiritualia, & non ex patrimonio, aut industria quesi- ta; ideoque rectè denominantur patrimonium Christi.

(2) Inter vestibulum, & Altare florabunt Sacerdotes, & dicent: Parce Domine, parce Populo tuo, &c. Sacerdotes sunt mediatores inter Deum, & homines: In ecclesiis Cathedralibus, & Parochialibus juxta Concilium Tridentinum, & Bullam Benedicti XIV. debent offerri Missae conventuales pro Populo, & benefactoribus.

cus, & honor status, officii, & vocationis nostræ præcipuè sistit, justitiæque exigente eniti debemus, ut in conspectu Dei ad ejus gloriam, & honorem, hominumque appareamus devoti, (3) religiosi, peculiariæque Dei cultores, ita ut summopere gloriamur, & invigilemus, ut attentè recitemus, & canamus. Hoc etenim modo si unusquisque ex parte suâ munus suum fideliter exequatur, citò Dominus opem nobis feret, & auxilium, ut in hac mortali vitâ ejus Majestatem contemplantes in æternum eâ perfruamur in cœlis.

Ad hoc supponere debemus, neminem, qui privatim Horas Canonicas in domo, in ecclesiâ, aut alibi extra chororum recitat, lucrari posse obventiones, aut distributiones quotidianas, (4) tenetur etenim canere simul cum ceteris in choro horâ assignatâ, debitâque reverentiâ: Ob hoc Capitularibus assignatur præbenda, seu salarium, & non ob privatam recitationem. Omnes igitur alternatim canere tenentur, nullatenusque beneficii lucrum alio

(3) Curam habe de dono nomine aut Spiritus Sanctus, cautè ambula Apostolus Paulus, & testimonium bonæ conscientie habere debent Sacerdotes; ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.

(4) D. Carol. Borromeus 2. p. tit. 38. ita ait: itaque auctoritate Concilii Tridentini præcipimus quod cum in choro psalendum est, ipsi quoque (Canonici videlicet) quantum honoris gradu ceteris præstant, tanto studiosius psalmis, hymnis, & canticis una cum aliis modulantes, Dei laudes concelebrant. S. Antonius p. 2. tit. 9. cap. 12. Concil. Trid. (loquendo de Dignitatibus, & Canonicis) Sess. 24. c. 12. In choro ad psalendum instituto, hymnis, & canticis Dei nomen reverenter, distinctè, devotèque laudare. Bened. XIV. Const. Cum Semper in Bullar. tom. 1. n. 103. ubi fuisse improbat contrarias consuetudines, easque declarat corruptelas. Romæ die 19. Augusti anni 1744. Idem Summ. P. in suo Brevi Dilecti Filii die 19. Januarii anni 1748. nullo pacto ex Præbendis, & distributionibus facere fructus suos, atque adeo restitutioni abnoxios esse, ac fore eos, qui non decantant Divinas laudes.

modo percipere valent, licet attendant, & recitent, quod alii canunt; re verâ si omnes sedulo curarent canere, simulque attentos esse intentione actuali, aut virtuali, (5) vitarentur abs dubio plurimi defec-

(5) Ut impigri, & alacres Præbendati ad Divina celebranda officia conveniant, perpendant, quales fuerint Sacerdotes per sex priora Ecclesiæ secula: Ea tibi specimen: Mane statim exorto sole Primam recitabant, ut hymnus sacer innuit: *Jam lucis orto Sydere*, Deo veluti primitias lucis tribuentes; Tertiam circa horam nonam matutinam, quia tunc datus est Apostolis Spiritus S. & erat hora diei tertia. *Alus Apptol.* Sextam circa meridiem, eâ etenim horâ cruci fuit Christus affixus, & ad sedandum calorem noxium concupiscentiæ, *Aufer calorem noxium*, meridie namque solis æstus urgens; Nonam circa horam tertiam post meridiem, eâ enim horâ Christus mortuus fuit, & circa horam nonam exclamans *expiravit*; ob hoc juxta Conc. 3. Mexic. pulsantur cimbala, ut in memoriam Passionis Fideles orent; Vesperas, ita dictas à sydere Vespere, qui decedente exoritur Sole, ad Solis occasum recitabant, nec non quia vespere Christus Cœnæ sacrificium instituit; completorium Monachi, dum cubitum irent, recitabant, ut innuunt illa verba: *Custodi nos dormientes*, ut etiam hodie faciunt Carthusiani.

Noctem in quatuor partes distribuunt, vigiliis agentes super gregem dormientem: *Vigilate, & orate*, excubantes super Populum ut boni Pastores; primâ noctis parte, seu vigiliâ primum nocturnum decantabant, secundum circa mediâ noctis, tertium circa primum galli cantum; Laudes summo mane, seu circa exortum Auroræ: His adde Lectiones SS. Patrum, quæ sparsim, & longius, quàm hodie fiebant in Capitulo, & ex hoc sortiuntur nomen Capituli; jejunia, & unicam in die comestionem quàm plurimis anni diebus absque refectiuncula matutinâ, aut collatiuncula vespertiâ, ut nunc assolet; factâque comparatione laboris nostri diurni, & nocturni cum primis Dei cultoribus, comperies abs dubio segiores nos esse operarios in Vineâ Domini, majoremque erga nos esse benignitatem Ecclesiæ, etiamsi examussum munus nostrum adimpleamus.

In Vigiliis Nativitatis Domini, & Resurrectionis etiam nunc cernitur in Cathedralibus ecclesiis species antiquioris disciplinæ, & qui plura desideret, inveniet apud Grancolas Commentaria in Brev. Rom. à cap. 20. & per sequentia. Etmundo Martenè de antiquis Ecclesiæ Ritibus tom. 3. de Horis Canonicis, & Offic. Div. & Gabanto tom. 2. Sect. 4. à cap. 13. Ex his igitur colliges, Canonicos (sive à Regulâ, seu Canone deominentur, vivebant etenim sub Regulâ SS. Hieronymi, & Augustini, antequàm seculares redderentur quàm plures Hispaniarum Cathedralis, sive à canendo) debere non solum corpore, ut marmora, & columnas, sed etiam animo, corde, & opere choro interesse, psallere Domino, laudare nomen ejus, & addiscere cantum, ut præcipitur Clericis in Conc. 3. Mexic. Parum enim consilii sunt Ritibus Ecclesiasticis, qui Præbendatos immunes à cantu judicant, quia Cathedralis habent dexterrimos chori ministros, hoc namque est ad majorem decorem, ad facilius chorum regendum, & denique ad majorem peritiam cantus requirendam in cantoribus, & musi-

tus, qui communiter notantur in choro: Idcirco oneramus super hoc conscientiam Præsidentis, eumque jubemus, assiduò invigilare quieti, & silentio in choro, ut Divina officia peragantur eâ, quâ decet, reverentiâ. Et ne aliquis suprâ dicta transgrediatur, sequentes Regulæ observabuntur.

- I. Nullus in choro, in stallo, antè, vel post Faldistorium colloquatur, dum Divina officia celebrantur, qui si admonitus secus fecerit, mulctetur à Præsidente amissione unius puncti; & si contumax fuerit, augeatur poena juxta contumaciam.
- II. Nulli fas sit loqui de uno choro ad alium, nutus, ac signa facere, (5) nec mittere nuntium, sub poenâ unius puncti, solum namque licitum erit aliquid circa Divinum officium modestè interrogare eum, cui competat respondere.
- III. Penitus è choro exterminentur joculariones, scurrilitates omnes, & quilibet gestus ad risum provocantes, præcipuè eum, qui canit Capitulum, Orationem, Lectionem, Epistolam, Evangelium, aut quamcumque aliam partem officii Ecclesiastici, sub poenâ quatuor punctorum.
- IV. Cuncti obediant Præsidenti in choro, & qui contrâ fecerit, amittat obventiones Horis illius diei assignatas.

cis, quàm in Canonicis, in his namque sufficiet scire cantum eorum, quæ recensentur in hac Constitutione, & ulteriores.

(6) De Functionibus Ecclesiasticis, & de modo eas in choro exercendâ agit Bauldri p. 2. cap. 1. & seq. in Rubricas, & ibi invenies quàm plurimas ex his Constitutionibus apprime descriptas. Concil. Florent. celebratum anno 1573. Canone 11. In Dignitatibus, aut Canonicatibus constitutis: in choro propriis quisque sellis consistant, concordî voce, & corde psallant simul omnes: privatum officium non recitent, litteras non legant, non obstrepant, non colloquantur.

Assurgere debent omnes, & discoopere capitulum, ut te esse, semper ac dicitur: *Gloria Patri*, (1) nec non dum canuntur, capitula, orationes, antiphonæ, hymni, & cantica. *Nunc dimittis, Te Deum laudamus, Benedictus, Magnificat*, ad *Intraïtum* Missæ, *Kyrie, Gloria, Credo, Evangelium, Sanctus, & Communio*. Quando proferatur Sacrosanctum Nomen Jesu, aut, Beatissimæ Virginis Mariæ, omnes sub præcepto caput debent discooperire.

VI. Si quis, dum canitur Evangelium, gradiatur intra ecclesiam, illicò gradum sistere debet, capiteque discooperto, non potest de loco moveri, usquequò Evangelium finiatur, (2) excepto casu quo quis fuerit à tergo chori, sub poenâ unius puncti.

VII. Omnes in choro canere teneantur, (3) & si aliquis siluerit, Præsidentis eum admoneat ad suum munus adimplendum, & inobediens mulctetur in eâ Horâ,

R

(1) S. Damasus Papa instituit, ut in fine cujuslibet psalmi diceretur *Gloria Patri*, in honorem Sacratissime Triados; est igitur specialis actus Latræ, & reverentiæ assurgere, stare, sistere gradum, aut discooperto capite esse, dum canuntur omnia, quæ referuntur in hac constitutione, jureque merito adicere debeo illa verba: *Bonus es tu, justus es Domine, Benedictus es Domine*. Psalm. 118.

(2) Hæc constitutio exactissimè etiam observatur in Ecclesiâ Toletanâ à primis ejus incunabulis, in eâ enim quasi absortus manere debet, qui gradus per ecclesiam audit canere Evangelium, statimque sistit, quando ipsius Redemptoris nostri verba proferuntur.

(3) Omnes laxitudines opinandi penitus delevit hæc constitutio, nec aliam hucusque perlegi clariorem, breviorè, & omne dubium dissipantem. Videsis Clericatum de Beneficiis discordia 67. Canamus igitur, & proclamemus cum Angelis *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, cum Davide ore nostro: *Ad ipsum ore meo clamavi*, septies cum eo laudes dicamus Deo: *Septies in die laudem dixi tibi*: ipse etenim etiam mediâ nocte surgebat ad confitendum Domino: *Mediâ nocte surgebam ad confitendum nomini tuo*. Moyses etiam, Dux Populi Israel, post transitum maris rubri cantavit: *Cantemus Domino*. Quare si in Lege veteri hymni, & cantica cum lætitiâ Deo persolvebantur, æquum non est, Canonicos, præstantiores ministros in Lege Gratiæ obmutescere.

quisquâ defecit, præter casum infirmitatis cunctis notâ.
 non (Quando Præcentor, aut Succentor quidquam in cho-
 ro canendum commendaverit, citò, & sponte fiat,
 & qui contrâ fecerit, aut deviaverit à tono Præcen-
 toris, aut Succentoris ei præintonato, (1) puniatur
 amissione unius puncti.

VIII. Dum celebrantur Missa major, Tertia, Sexta,
 & Vesperæ, nulli licet progredi in ecclesiâ ante
 chororum, semperque prohibitum est deambulationem
 in ecclesiâ facere; ad fores ecclesiæ stare, aut cir-
 ca altaria, ubi Missæ privatæ celebrantur, deambu-
 lare, sub pœnâ unius puncti.

IX. Quando Succentor solus, aut paucis adstanti-
 bus fuerit ante faldistorium, & Præsidentis de sede
 sua descenderit, ut eum adjuvet, omnes idem face-
 re teneantur, (2) sub pœnâ unius puncti.

X. Non liceat in choro litteras, aut libros legere,
 dum Divina celebrantur officia, nec privatim reci-
 tare, nisi in Missâ post *Sanctus* usque ad Calicis ele-
 vationem, & si aliquis à Præsidente admonitus con-
 travenerit, puniatur amissione obventionis illius
 Horæ.

XI. Nemo ingrediatur, aut egrediatur per portam

(1) Cantus Gregorianus appellatur firmus tam propter firmitatem
 punctorum, clavis, & toni, quàm propter meliodiam, provenientem ex
 conformi omnium voce; quapropter, quando aliquis à tono Succentoris
 deviat, Kachophoniam causat, deformitatem, & disonantiam; Ob idque
 omnes uno ore, uniformiter, eodem in tono, & sequendo intonationem, &
 pausationem Succentoris canere debent.

(2) Præsidentis representat Personam Christi; chorus significat cœcu-
 lum, ubi Dominus cum Apostolis Pascha fecit; assistentes choro vicem
 obtinent Angelorum, qui sunt Ministratorii Spiritus, & sponte faciunt
 voluntatem Dei. Dicitur chorus à chora, seu coronâ, ad cuius formam
 etiam nunc sedent Cænonici in Italia.

principalem chori, nisi ante cœptum, seu finitum
 integrum Horarum officium, vel comitetur Præla-
 tum, vel exeat ad celebrandum Missam conventua-
 lem, vel cappâ pluviali sit indutus, vel comitetur
 hebdomadarium, vel ad deferendum signum, vel
 ad aliud quodcumque chori, vel altaris ministe-
 rium, sub pœnâ amissionis illius Horæ.

XII. Hebdomadarius, sive sit Dignitas, sive Cano-
 nicus chororum primus ingrediatur post sonitum cim-
 bali, nec incipiat Horas, seu intonet, usquequò ac-
 censæ sint candelæ in altari majore, & signum fac-
 tum cum cimbalo chori. Qui antea cœperit, amit-
 tat distributionem Horæ; similiter si inceperit, an-
 tequam sufficientes chori ministri advenierint, sub
 eadem pœnâ. Et ne ulla mora fiat, statuimus, Ca-
 pellanos, Succentorem, & chori ministros ingredi
 chororum debere cum ipso hebdomadario, & amit-
 tere obventiones Horæ, si finitus sit hymnus Bea-
 tissimæ Virginis, aut Horæ principalis.

XIII. Qui ingrediatur chororum post *Gloria Patri* pri-
 mi Psalmi (1) (dum non recitatur officium Beatissi-
 mæ Virginis Mariæ) & qui ingrediatur post *Glo-
 ria Patri* Horæ principalis usque ad *Alleluja*, seu
Laus tibi Domine, quando recitatur Officium Par-
 vum, amittat distributionem illius Horæ. Ceterùm
 hoc non prodest iis, qui sunt intra ecclesiam, con-
 sultoque, & ex malitiâ sedentes, aut colloquentes,
 expectant præfinitum tempus ad lucrandas obven-

R 2

(1) Qui faciat opus Dei negligenter, maledictus à Deo vocatur; eadem men-
 surâ, quâ mensi fuerimus, remetietur nobis, & qui parca seminat, parca & metet,
 & qui seminavit de benedictionibus, de benedictionibus & metet.

tiones, nullatenusque ingrediuntur, quousque id temporis præterlabatur.

XIV. Ingressus chorum rectâ viâ pergat ad suam sedem absque ullâ mansione, seu colloquutione cum iis, qui sunt ante faldistorium, aut sedibus inferioribus, sub poenâ amissionis Horæ.

XV. Nullus ad sedes inferiores descendat ad colloquendum, sed tantummodò ad canendum ante faldistorium, sive id quod ei fuerit inunctum, ad canendum *Pretiosa*, (1) *Responsorium*, seu aliud quidquam ei commendatum, sub poenâ unius puncti.

XVI. Qui erraverit subvertendo, aut invertendo capitulum, aut orationem, amittat distributionem illius Horæ: Qui negligens fuerit in recitando, seu canendo capitulum, orationem, seu quamlibet aliam rem, sibi à Succentore, vel hebdomadario commendatam, (2) aut suâ negligentia culpabilis defectus extiterit, mulctetur amissione illius Horæ.

XVII. Idem punietur amissione distributionis duorum dierum, qui omiserit celebrare Missam majore

(1) Iterum commendat obligationem canendi, & quædam cum Succentore præintonandi, & hic recordari libet quod Canonici Parisiensis Ecclesie, & ceterarum Gallie Cathedralium olim observabant, & quæ fuerit eorum disciplina. Primò: Clericos, & Canonicos omnes renuntiasse patrimonio suo, atque vestes in communi habuisse. Secundò: Eodem loco, sive claustro prope ecclesiam conclusos fuisse, quò aditus mulieribus negabatur. Tertio: In eodem omnes dormitorio cubasse. Quartò: In eodem Refectorio in communi vivere consuevisse. Quintò: Plures alios Monasteriorum mores serbasse. Sextò: Superpellicum ad talos usque descendens gestasse. Septimò: Cappam anteriùs clausam gestasse. Octavò: In ecclesia cecinisse.

(2) Quilibet Præbendatus tenetur officium suum exactè adimplere, & agnovit hanc eandem obligationem Imperator Justinianus rescribens ad * *Fortè Joan. Præf. leg. 52.* Taberium Præfectum tit. 52. c. de Episcopis, & Clericis. Sanctus Ambrosius canendi morem innoxit in Ecclesiam Mediolanensem; etiam reperitur in codice manuscripto miraculorum S. Genovefæ. Venantius denique

rem, sive quia sit hebdomadarius, vel quia ei sit commendata, & acceptata celebratio: Idem intelligendum est de hebdomadariis Diaconis, & Subdiaconis.

XVIII. Ille, qui omiserit facere, vel per se, vel per alium quodlibet officium sibi in tabellâ chori præscriptum, duobus punctis mulctetur.

XIX. Hebdomadarius, vel is, cui commendaverit, ad induendam cappam, sive ad Missam, seu ad Vesperas, eam induere debet ante Introitum Missæ, vel finitâ Nonâ ad Vesperas; alioquin si per se, vel per alium facere neglexerit, duobus punctis mulctetur.

XX. Deficiente hebdomadario Missæ, Evangelii, Epistolæ, aut cappæ, tunc Præsidentis alii commendabit, & si quis justâ causâ deficiente se excusaverit, mulctetur quatuor punctis.

XXI. Si Decanus fuerit hebdomadarius, & absens fuerit, in ejus locum succedat Cantor. Si Cantor fuerit absens, in ejus locum succedat Thesaurarius, & his deficientibus, iterum succedat in locum eorum Decanus. Si Dignitates unius chori abfuerint, transeat hebdomadarii officium ad alium chorum ordine suprascripto, idemque observetur in choro Archidiaconi.

XXII. Canonico antiquiori absente, in ejus locum succedant Canonici illius chori ordine suo usque ad

que Fortunatus, Episcopus Pictaviensis sic ante mille agnos cecinit lib. 16. Carmine 30.

*Celsâ Parisiaci Cleri reverentiâ pollens
Ecclesie genium, glorie manus, honor:
Carmine Davidico Divina poemata pangens
Cursibus assiduis dulce revolvois opus.*

ultimum, & si postremus absens fuerit, iterum in eius locum succedat Canonicus antiquior: deficiente Canonico transeat hebdomada ad alium chorum incipiendo à modernioribus.

XXIII. Dum dicitur Officium parvum B. Mariæ (1) omnes stent erecti capite discooperto. Et ordinamus præfatum Officium parvum debitâ pausatione, reverentiâ, & gravitate recitari debere sub pœnâ amissionis Horæ contra innobedientes Præsidenti.

XXIV. Psalmi cani debent alternatim (2) cum pausatione competenti in medietate versus, nec unus chorus incipiat, quousque in alio versus finiatur; & ad hujus observantiam Succentor monere debeat defectus, & præcipuè Præsidents jubere, ut cuncti tonum Succentoris sequantur, sub pœnâ amissionis Horæ, si admoniti, non ita fecerint.

XXV. Parochi juxta Ereccionem (3) assistere choro debent omnibus diebus ad Vesperas, Missam, & procesiones, tam intra, quàm extra ecclesiam, alioquin punctabuntur, nisi exercitati, seu occupati sint in aliquo ministerio Parochiali, quod dilatationem non patiantur.

(1) Recitationem Officii parvi B. Mariæ institutam anno 1056. à Petro Damiani Cardinali asserit Baronius, & reperies apud Gavantium tom. 2. Sectione 9. in Appendice. Eâ obligatione S. Pius V. intra chorum, non extra, Clericos ligari decrevit.

(2) Alternantes concrepando melos damus vocibus, mutuò nosmetipsos excitantes.

(3) Hoc servari non video, non sine magno dolore propter quasdam contentiones, quæ jure merito sopiri deberent; Cathedralis namque ecclesia est omnium Matrix, & Magistra, & licet Parochi, suo Pastoralis ministerio intenti, quibusdam tantummodo sollempnioribus diebus assisterent, consentaneum erat, ut hic vetustissimus mos in nostrâ Ecclesiâ observaretur, ut in unum confluant corpus Ministri Domini.

XXVI. Nemo è choro exeat absque licentiâ Præsidentis, justâque de causâ sub pœnâ amissionis Horæ. Nec ut justæ causæ considerari possunt negotia ordinaria; (1) quæ finita Horâ expediri valent. Excipiuntur corporis necessitudines, dummodo nec mora fiat in sacristiâ, aut alio in loco, vel deambulando, sub pœnâ unius puncti.

XXVII. Qui habitâ licentiâ è choro exierit, redire debet ad orationem, & adesse majori parti Horæ, vix, si continet tres psalmos, adesse debet duobus, si quinque, adesse tribus, si tres nocturnos, adesse duobus sub pœnâ amissionis Horæ.

XXVIII. Is, cui ex officio, aut alterius commissione, aliquid in choro incumbat, si abfuerit, non committens, amens alteri suum ministerium, amittat obventionem Horæ.

XIX. In matutinis, quando canuntur, qui ingrediantur post *Invitatorium*, & Psalmum: *venite exultemus* cum *Gloria Patri*, amittat eorum distributionem; si verò intonentur, qui ingrediantur post primum Nocturnum, nullatenus lucretur; si unus tantum dicitur Nocturnus, ante *Te Deum laudamus* ingredi debet.

XXX. Qui non adfuerit Missæ majori, amittat Tertiam, & Sextam, licet in eis præsens fuerit. (2) Qui

(1) In ecclesiis Cathedralibus hujus Novæ Hispaniæ perexiguus est Præbendorum numerus, ob idque aboleri debent quicumque abusus, & corruptelæ adversus residentiam. Vide Concilia Mexicana, præcipuè tertium lib. 3. tit. 6. de Clericis non residentibus per totum, & in fine §. 6. *Nullumque declaratur, absentes in toto, aut in parte, quicumque ratione obventiones hujusmodi perciperent, teneri in foro conscientie eas presentibus restituere.*

(2) Regulæ, quæ in hac paginâ apponuntur, deserviunt, ut postea declaratur, ad vitandas fraudes; non ad excusandos in foro interno defectus, qui committuntur ex malitiâ; Ecclesia etenim non judicat de occultis, sed solum declarat, quo tempore pœnas incurrunt transgressores.

præsens Tertiae fuerit, & egrediatur extra ecclesiam, amittat distributionem Missae, si non adfuerit Evangelio. Nullus lucrari poterit obventionem Sextae, si in choro non fuerit præsens ad elevationem Hostiae, & Calicis. Qui præsens Tertiae fuerit, & cum licentiâ è choro exierit, redeat ad Evangelium: Si exierit post Evangelium, redeat ante orationes postremas Missae, sub poenâ amissionis Horarum.

XXXI. Qui non adsit verbi Dei prædicationi, seu sermone, amittat distributiones Tertiae, & Sextae, & qui abfuerit à concione cum licentiâ Præsidentis, non lucratur distributionem Tertiae.

XXXII. Unusquisque Presbyter, seu hebdomadarius perlegat Missam, seu capitulum, orationem, Evangelium, Epistolam, lectionem, prophetiam, antè quàm eam sollemniter cantet; alioquin si defectus aliquis in pronuntiatione accentûs, (1) seu inversione cum alterâ diei, & Horæ non competenti, irrepat, amittat distributionem Horæ. Super quo conscientiam Præsidentis oneramus.

XXXIII. In festivitibus Domini nostri, Beatissimæ Virginis Mariæ, & Apostolorum, quæ vocantur propriæ Dignitatum (2) non concedatur licentiâ à

(1) Qui negligens est in rectâ pronuntiatione accentûs, ita ut risum excitet in choro, non excusatur secundum aliquos à peccato veniali; & cum plures lateant quædam vocabula dubia, quæ corrigi, aut protrahi possunt; justum est, ut ceteri non illic insimulent, sed patienter audiant, & si forte secreto errorem corrigere possunt, ita faciant, abque sociorum dedecore.

(2) Festa primæ, secundæ, & tertiæ classis distinguuntur in choro ratione majoris, aut minoris sollemnitatis, non tantum ratione cantûs, quàm etiam Dignitatis personarum, tam ad hebdomadarii Missæ, quàm ad cappas induendas, ita ut major festivitas respiciatur etiam in Dignitatibus. Decanus in jure Canonico vocatur Archiepresbyter, seu primus

primis Vesperis Festi usque ad Sextam alterius diei inclusivè. In Paschate Domini Nativitatis, Resurrectionis, & Pentecostes usque ad Sextam secundi diei inclusivè; nec etiam concedatur licentiâ Dominicâ Palmarum ad processionem, nec diebus quibus *Signum* fit ad Vesperas, nec tribus diebus ultimis Sanctæ hebdomadæ Majoris, nec in Octavâ Resurrectionis, nec in processione ad fontem Baptistalem, nec in vespere, die, & octavâ Corporis Christi ad Vesperas, Missam, aut processionem, & denique non concedatur licentiâ die processionis Sancti Marci, aut in Litanis. (1)

XXXIV. Post inceptam Tertiam nullus etiam cum licentiâ Præsidentis possit Missam privatim celebrare, & solùm indulgetur, finitâ Sextâ, & qui contra fecerit, amittat distributiones Tertiae, & Sextæ, nisi in diebus, quibus ad Capitulum fuerit convocatum, aut causâ alterius generalis negotii.

XXXV. Diebus, quibus sermo fit ad Populum, si aliquis celebraverit, quando incipitur Tertia, eam lu-

S

Presbyterorum, seu Præpositus, quasi prius positus. Sublatâ à Conciliis jurisdictione Archidiaconi, Decanus primum obinet locum; post eum Archidiaconus titularis, ita dictus, quasi primus Diaconorum; Cantor seu Præcentor, ita dictus, quia prius intonat, seu canit, & scholam cantûs gubernat; etiam denominatur Primicerius, quasi scriptus primo loco in cereis tabellis; Scholasticus, seu Magister Scholarum, seu Studiorum; Thesaurarius denique, qui in jure Sacrista, aliquoties Custos vocatur, mirabilem in Ecclesiâ consuetuunt varietatem.

(1) Rogationes, sive majores, institutæ à Sancto Gregorio Magno ad avertendam à Româ pestem, & alia mala, sive minores, institutæ à Mamerto, Episcopo Viennensi ad similia, & alia Dei flagella Galliarum vitanda, sunt ab Ecclesiâ universaliter indicte ad publicas Deo Litanias, seu preces fundendas, ad omne damnus animæ, corporis, agrorum, & hostium à nobis propellendum, nec non ad orandum pro Summo Pontifice, Rege, Populo, benefactoribus, & pro universis statibus Ecclesiæ, vidè Benedic. XIV. in institutionibus de Rogationibus majoribus, & minoribus.

crabitur, dummodo præsens in choro sit ante processionem; & si post sonitum campanæ Missam incœperit, amittat Tertiam.

XXXVI. Nunquam in Missa sollemni omittatur sollemnis cantatio *Gloriæ*, (1) *Credo*, *Præfationis*, & *Orationis Dominicæ*; sub pœnâ unius puncti.

XXXVII. In processionibus servetur modestia: nemo cum alio Clerico, vel seculari confabuletur, sub pœnâ unius puncti, & si quis admonitus à Præsidente non paruerit, augeatur pœnâ.

XXXVIII. Omnes Præbendati canere discant, (2) ad minus ea, quæ unicuique intonare incumbit ex officio, videlicet, *Capitulum*, *Orationem*, *Lectionem*, *Præfatium*, *Gloria*, *Credo*, *Orationem Dominicam*, *Ita Missa est*, *Benedicamus Domino*, secundum sollemnitatem, & ritum Festi: nec non in choro præintonare *Antiphonam*, *Versum*, *Introitum*, *Alleluja*, *Graduale*, & *Responsorium*. Qui ignorans cantûs Gregoriani ad suprâ dicta fuerit, discere teneatur intra annum, & si eo transacto non didicerit, amittat decimam partem suæ Præbendæ, eique alter annus

(1) Cantatio sollemnis *Gloriæ* in ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis nullatenus potest omitti diebus, quibus ab Ecclesiâ præcipitur, licet enim primis Ecclesiæ seculis arbitrariū fuerit eam canere, aut non, & ex hoc descendit illa praxis invitandi Presbyterum ad *Gloriæ* cantum per cappæ ministros, nunc tamen non potest silentio præteriri, quia pars officii quibusdam diebus recensetur juxta Ritum, & secundum Concilium Tridentinum, tertiumque Mexicanum de *Celebratione Missarum* §. 2. debent observari Missale, Rituale, & Cæremoniale Romanum, & §. 7. ejusdem tituli *Hymnus Angelicus*; seu *Gloria in Excelsis Deo*, ab Angelis decantata non potest omitti diebus, quibus in Missâ præscribitur.

(2) In memoriam revoca superius allata, & facillimè dirimes nodos difficultatum hoc temperamento adhibito ab Illmo. D. Alfonso Montufar; nihil de novo statuente, sed sæpius à Sacra Congregatione repetitum in Declarationibus, quas affert Clericatus loco suprâ citato.

prorogetur eadem obligatione; transacto anno amittat octavam partem, & sic deinceps proportionem servatâ augeatur pœnâ.

XXXIX. Præbendati, qui odio, & prayâ voluntate non se mutuo salutaverint, nullatenus lucentur suas præbendas, quousque reconcilientur. (1)

XL. Nullus petat licentiam per alium, sed per se, nec minister inferior chori per Præbendam, Parochum, aut Capellanum, nisi Præbendatus fuerit intra ecclesiam, & commodè, decenterque non poterit petere per se, aut si expectare ad chori initium non possit, saltem petat licentiam à Canonico antiquiori, hicque teneatur rationem, seu notitiam reddere Præsidenti, durante Horâ; quòd si oblitus fuerit Canonicus antiquior, amittat Horam, qui petit licentiam.

XLI. Nullus Præbendatus, aut Ecclesiæ minister exeat extra ecclesiam superpelliceo indutus, aut ambulet per canponas, tabernas, aut calles, (2) nisi ad ministerium sibi ex officio respondens, aut comitando Prælatum, aut rectâ viâ veniat ad ecclesiam de domo suâ, sub pœnâ duorum punctorum.

(1) Si offeris motus tuum ad Altare: vale prius reconcilari fratri tuo, ait Jesus Christus; potiori ratione Præbendati, qui sunt fratres, socii, & ministri Altaris, inimicitias abscondere nequeunt, quando Pax vobis, & mutuas sacras salutationes in choro cunctis diebus indesinenter proferunt: imitemur exemplum Salvatoris nostri, in cuius navitate Pax annunciata est hominibus bonæ voluntatis, & tanquam ultimum testamentum pacem reliquit: *Pacem relinquo vobis: Pacem meam do vobis*: Vide Statutorum partem 4. cap. 10.

(2) Superpelliceum est vestis Ecclesiastica, ita dicta, quia super Albam vestem pelliceam, seu pelles pretiosæ ponebantur, & hodie cernitur in cappa choralis Episcoporum, & Canonicorum quarundam ecclesiarum Hispaniæ; & cum dictum superpelliceum sit indumentum ornatius, atque magis decorum ad functiones Ecclesiasticas obeundas, ob id nullus extra ecclesiam eo uti debet, nisi in ministerio Sacerdotali, & Clericali.

140.
XLII.

Punctator chori omnia superius dicta fideliter exequatur; & si ita non fecerit, duplo puniatur, & super hoc conscientia ejus gravissimè oneratur.

Prædictas Regulas, Ordinationes, & Constitutiones virtute Sanctæ obedientiæ, & sub pœnis in eis contentis servari mandamus in choro hujus nostræ Sanctæ Ecclesiæ, nec liceat eas infringere, violare in toto, vel in parte, & super hoc conscientiam oneramus Præsidentis, & Punctatoris, quibus earum executionem committimus, declarantes ipso facto pœnas incurrere contrafacientes, & ut ad omnium Capitularium perveniant notitiam, præcipimus hoc nostrum Decretum, Regulas, & Ordinationes in eo contentas legi, & notas fieri primo die Capituli, loco, & horâ consuetis, tempore, quo Præbendati conveniant ad Capitulum juxta usum, & consuetudinem. Et postea scribi mandamus in membranis, & apponi eo loco, ubi commode legi, ac intelligi possint ab omnibus Præbendatis, nullusque audeat eas indè amovere sub pœnâ excommunicationis majoris latæ sententiæ, cujus absolutio- nem nobis reservamus. Præterea mandamus Secretario nostræ Curie Archiepiscopalis has Regulas, & Constitutiones asservari in archivio Curie, ut constet de earum publicatione. Mexici die decimâ sextâ mensis Januarii anni millesimi quingentesimi septuagesimi.

Frater Alfonsus Archiepiscopus Mexicanus.

Mandato Illmi. ac Reverendissimi.

Alfonsus de Ivera.

Notarius.

INDEX CAPITULUM

HUJUS LIBRI STATUTORUM.

*S*anctæ Mexicanæ Ecclesiæ erectio.

Pág. 4.

PRIMA STATUT. PARS CONTINET.

C AP. I. De possessione Prælati capienda, & modo.	38.
CAP. II. De Loco Capitularium.	44.
CAP. III. De Decano, & ejus Præminentis.	46.
CAP. IV. De Archidiacono.	49.
CAP. V. De Cantoris officio, ac Dignitate.	Ibidem.
CAP. VI. De Scholastici Dignitate.	50.
CAP. VII. De Thesaurario.	51.
CAP. VIII. De Canonicis.	52.
CAP. IX. De Integris, ac dimidiis Portionariis.	53.
CAP. X. De Decimarum partibus ad Prælatum, Capitulum, Fabricam, Hospitale, & Servientes pertinentibus.	54.
CAP. XI. De Formâ in admittendis ad possessionem Præbendatis habendâ.	Ibidem.
CAP. XII. De modo ad hoc, ut Præbendati noviter recepti sciant Cæremonias, servando.	61.
CAP. XIII. De iis, quæ Præbendati, & alii Ministri in Divini Cultûs ministerio, ac Beneficiorum, Officiorumque suorum exercitio agere debent.	62.
CAP. XIV. Qualiter omnes Cathedralium ecclesiarum Præbendati certis anni temporibus Cappas Chori gestare debent.	63.
CAP. XV. De respectu, & obedientiâ debitâ Præsidenti, ac de ejus officio.	66.

T